





*Q. D. B. V.*

DE

**PARTU PRÆTERNATURALI  
EX VITIIS TRUNCII FOETUS ORTO**

*DEO TRIUNO PRÆSIDE*

CONSENSU

GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ  
PRO SUMMIS IN ARTE MEDICA HONORIBUS

ET

**PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS**

RITE CONSEQUENDIS

SOLENNITER DISSERET

**SABBAS LEONTOWYTSCH**

EX PARVA RUSSIA

*DIE XXX. JULII MDCCLXVI.*

H. L. Q. C.

*ARGENTORATI*

Typis JOH. HENRICI HEITZII Universitatis Typographi




---

LUCRETIIUS L. VI.


*Tum porro puer, ut sevis projectus ab undis.  
Navita, nudus humi jacet infans, indigus omni  
Vitali auxilio: cum primum in luminis oras  
Nixibus ex alvo matris Natura profudit:  
Pugituque locum lugubri complet: ut æquum est,  
Cui tantum in vita restet transire malorum.*

---



DE  
PARTU PRÆTERNATURALI  
EX VITIIS TRUNCI FOETUS ORTO.

§. I.

 Embryo a primo conceptionis minuto, per novem menses solares, suis involucris cinctus, & sensim adauctis, aquis immerfus, in utero materno hospitatur. A primo illo momento, per omne reliquum temporis spatium, tenella corpusculi fabrica gaudens pergere tamen, ex lege Naturæ, debet vitæ telam, quam inchoavit per texere; eam sine idoneo nutrimento ad finem perducere nequitiam potest; hinc post prima delineamenta, nondum vasculis placentæ cum vasis uterinis contextis, grani vegetabilis instar, lympha, quam sub forma roris ex poris uterinis exsudantem, & in minimos cuticularum ovuli poros in sinuam fugit, nutritur, vegetat, crescit: hunc nutritium fontem optime HIPPOCRATES a) sequentibus  
expla

explanavit verbis, dicens: alimentum & augmentum pue-  
 rorum fit, ubi ea, quæ a matre veniunt, in uteros proces-  
 serunt, quemadmodum etiam, quæ in terra crescunt, a  
 terra nutriuntur; habet in se terra omnigenum humorem,  
 ut nascentia nutrire possit; condensata a spiritu & humore  
 vis semen rumpit, & primum folia foras emergunt, post-  
 quam autem planta jam firmiter radices interne egerit, tunc  
 sane totum evanescit, & in plantam consumitur; sic etiam  
 puer vivit de matre in utero. Sed hæc pauca succi quan-  
 titas, quo ab initio sustentatur homo, progressu tempo-  
 ris, capto incremento sufficiens non est, ut ille a granu-  
 lo, visum omnino fugiente, ad pondus aliquot librarum  
 augeri & excrecere, omniumque artuum & membrorum  
 perfectam evolutionem atque extensionem absolvere pos-  
 set; Natura hunc in finem rivum fluentem & refluxum  
 extruxerat, per alterum humores ex corpusculo embryo-  
 nis reduces maternis traduntur vasis, in cujus corpore as-  
 similati, præparati, alibilibus particulis foeti, per alterum  
 ad foeturam revertuntur; hi sunt alimentum pueri. De  
 nutrimento, crescente in utero foetu, ore hausto, mul-  
 tum disputatum fuit, nec tamen lis prorsus diremta est.  
 Dictum circulum Naturæ eousque durare iussit, donec ho-  
 mo ad illum suæ perfectionis gradum evectus sit, ut sibi  
 relictus, suis propriis organis, alimentum in suam naturam  
 assimilare eoque ali & sustentari queat: hi rivi, hoc in-  
 ter matrem & foetum commercium est umbilicus b) funi-  
 culus umbilicalis, qui e centro corporis erumpens,  
 variam longitudinem emittit, tandem frondis instar  
 dispersus, ultimis vasculorum suorum laciniis vasis uterinis  
 inosculetur. Homini & animalibus datus est umbilicus;  
 rarissimo exemplo illum defuisse legimus. Eo tempore,  
 quo animalculum post prima rudimenta cernitur, funi-  
 culum umbilicalem semper adesse summorum Virorum  
 fide constat; post decem, duodecim dies cum suo in api-  
 ce

ce tomento c), quod postea placenta a curiosis & sagacifimis scrutatoribus observatum fuit d): hinc GALENUS e) prima omnium vasa umbilicalia comparere agnovit. Trium canalium funiculus fabricatus est; trium inquam, nam urachum in funiculo humano, per totam ejus longitudinem, sub specie canalis nemini exquisitissimorum Anatomicorum prosequi licitum fuerat. Veteres quidem, ex quibus vel solum GALENUM excitare sufficit, urachi ubique in scriptis anatomicis & physiologicis mentionem injiciunt, sed illi brutorum corpora præcipue ad suas dissectionis adhibuerunt. Funiculi umbilicalis canalium, sunt duo arteriosi, tertius venosus, prioribus diametro fere duplo amplior; hac ut plurimum illi inter se dispositi sunt lege, ut arteriæ extrema occupent latera, media autem inter has jaceat vena; sed infinitæ occurrunt varietates, appropinquantes ad se invicem arteriæ, excludunt venam, quæ tunc tertiam lateralem funiculi partem occupat; non recta utrumque vasorum genus procedit via; arterias circa venam flexuose ludere, venam circa sodales arterias serpentino repere more videmus: ab his flexionibus funiculi nodi. HARVEUS f) venæ proprios esse flexus & curvaturas statuit, & causam addens dicit: *Propter hos enim impetum sanguinis a matre euntis ad fructum infringi*; sed nullum hic ab impetu sanguinis periculum extimescendum; ultimas enim arteriolas uteri nequaquam cum ejusmodi violentia suum sanguinem ad foetum pellere certo constat; HOBOKENUS g) a valvulis arteriarum intus delitescentibus & regurgitationem sanguinis ex placenta ad foetum impredientibus nodos deduxit; sed has flatus & injectio rejecit. Ex absentia nodorum nullam fecunditatem, ex copiosiori eorum aut pauciori numero frequentem vel raram eandem hallucinantur mulierculæ. Omnes hi canales, mox laxius mox firmitus, tela cellulosa vel corpore spongioso, ut ROUHAUL-

trus dicit *b*), a Peritonæi facie externa producto, juncta; septo triplici a Clar. NOORTWYK *i*) descripto & depicto distincti, proprio in volucro duro, firmo, ad naturam fere cartilagineam accedente; quod neque a peritonæo derivare licet; extra illud enim illi siti sunt, neque a cute deducere, nam & hæc cum epidermide obtuso margine funiculo umbilicali cum involucro annectitur *k*) investiti sunt; progeniem ergo membranarum foetus hoc involucrum esse videtur; ex quarum numero Amnios solummodo in funiculum pergere, per dissectionem & separationem HOBOKENUS *l*) se agnovisse asserit; mediam autem continuari ROUHAULTIUS *m*) affirmat; mediam & Amnios funiculum prosequi Ill. HALLERUS *n*), Chorion & Amnion Cel. olim ROEDERER *o*), si firmitatem funiculi perpendes, mediam mollissimam membranam, vel robustiorem Amnion, sed solam ad illud contexendum minime aptas deprehendes. Ambas itaque mediam & Amnion umbilicum, ubi ille in ramusculos dispesci & in radices placenta abire coepit, ambire, amicare & stricte amplecti, per totamque ejus longitudinem exporrigi, cum annulo abdominali connecti hocque firmissimum tegmen efformare videntur, ut intestina e cavitate abdominis per anulum evoluta, continuo tractu absque funis dilaceratione protendantur *p*).

*a*) *Lib. de natura pueri*, Edit. VAN DER LINDEN.

*b*) GALENUS ita appellat *Class. I. c. 3. p. 648*. Edit. Froben.

*c*) Num hoc tomentum est animalculi cauda? cum horum animalculorum historia nunc e foro physiologico, felicibus avibus evolavit, vix multis argumentis ad discutiendam hanc quaestionem opus est, qui plura de hac re noscere cupit, pervolvat Illustriss. HALLERI *Physiolog. T. VII. L. XXVIII. Sect. II.*

*d*) vid. Illustr. DE HALLER *Tom. VIII. p. 218*.

*e*) *Libr. de Formatione Foetus, C. II. de formatione partium, quae extra foetum sunt. p. 647.*

*f*) de



- f) de umbilico, p. 375.  
 g) Anatomia secundine humane. §. 12.  
 b) Histoire de l'Academie Royale des Sciences de Paris 1714. p. 313.  
 Tab. II. Fig. 7. & 9. depictum exhibetur.  
 z) Uteri humani gravidi Anatomie & Historia p. 215. Tab. IV.  
 F. V. VI. VII. & VIII.  
 k) Illustr. DE HALLER Tom. VIII. L. XXIX. Sect. III. §. XVI.  
 p. 216.  
 l) l. c. p. 28.  
 m) l. c. p. 312. Sic Auctoris verba sonant: *Le cordon ombilical est revetu exterieurement & dans toute sa longueur par une membrane fine, forte & d'un tissu serré, qui lui vient de la membrane moyenne des enveloppes du fœtus; cette membrane est si adherente, que l'on ne peut la separer que difficilement des parties qu'elle recouvre.* Et paulo inferius mentem suam clarius explicat: *Il est difficile de gonfler ce corps plus loin, parceque l'annios, qui s'y termine fait comme une espece d'anneau, qui empêche que l'air ne passe facilement.* Ego funiculum umbilicalem examinans, aërem non difficile pepuli, qui corpus spongiosum Rouhaultianum expens, inter amnion & chorion receptus, supra umbilicum inter hunc nimirum & placentam efformavit vesicas.  
 n) Tom. VIII. p. 217.  
 o) Diss. de fœtu perfecto §. XVII.  
 p) Celeber. ALBINUS Annot. Acad. L. I. p. 76.

§. II.

Hoc involucrum diversa nomina à variis Auctoribus accepit. Κέλυφος δερματικόν a STAGIRITA a) denominatum, CASPARI BAUHINO b) *Investinuli* nomen placuit, HOBOKENUS c) simpliciter *vestituram* dixit, & alii alii insigniverunt nominibus. Vagina in modum §. antec. dictum vasa inter se juncta & inter hæc absconditum corpus spongiosum, gelatina factum, nec non septa cingit, retinet, firmat, a rupturæ periculo funiculum immunem præstat; & omnino vasa extra corpus exporrecta, omni fulcimento destituta, aquarum maceratiōni exposita & munus suum, jussu Naturæ obire adstricta, juste necessarium

rium debuerat accipere robur. Sed quænam hujus involucri duritiæ sint causæ, ut forcipe scissum crepitet? Nervos ex utero ad placentam decurrentes, & per hanc ad funiculum propagatos, nemo ad hunc usque diem indagare potuerat; illos quidem ex abdomine foetus egredi nonnulli se vidisse asserunt; *sed nemo*, dicit III. DE HAL-  
LER *d)*, *accuratiorum incisorum in funiculo, & minus etiam in ejus parte ad placentam pertinente, nervos vidit compertumque est eas partes sensu carere*; nec certior est historia vasorum lymphaticorum.

*a) de generatione animalium L. II. c. 9.*

*b) Theatr. anatom. L. I. c. 2.*

*c) l. c.*

*d) l. c. Tom. VIII. L. XXIX. p. 223.*

§. III.

Sequitur nunc ut funiculi longitudo atque crassities determinetur, num autem ejus longitudini certi limites poni possunt ex sequentibus patebit. Funiculum humanum integræ ulnæ Belgicæ longum HOBOKENUS *a)* tradit, MAURICEAU *b)* tres quartas ulnæ Parisinæ non excedentis mensuram dedit, unius pedis & dimidii vel & duorum funiculum longitudine sua non excedere ROUHAULTIUS *c)* dicit, duas tertias ulnæ aut integram æquare THEBESIUS *d)* mensurando expertus est, & alii aliter. Crassities umbilico in tota ejus longitudine non eadem est, ut plurimum pollicem funiculus non superat, sed nonnunquam multo crassior occurrit; quæcunque denum illa sit, eadem tamen per omnem umbilici longitudinem non observatur; pars abdomini propior continuo per aliquod intervallum crassior est, hac reliqua ad placentam tendens duabus lineis tenuior, ergo si pars placentam respiciens

ciens crassitie minimi digiti pollet, abdominalis præ hac  
sibi duas lineas vindicat.

a) *l. c. p. 39.*

b) *Observat. sur la grossesse & l'accouchement des femmes. Obs. 401.*

c) *l. c.*

d) *Gebammenkunst P. III. Sect. 3. p. 361.*

§. IV.

Robur, firmitas, teneritas, involucri & vasorum umbilicalium, nec non quantitas corporis spongiosi aut texti cellulosi, atque copia humoris in eo reperiendi, illum variis nominibus compellendi ansam præbuerunt. Aliquando involucrum pertenuè est, cum exigua parte texti cellulosi, ut subtus vasa delitescant, sanguine turgida, per ejus parietes pelluceant, faciliq; negotio utrumque agnoscatur genus; hinc umbilicus totus læto perfusus rubore cernitur, hic sanguinei nomine venit, & rupturæ quam maxime obnoxius est, vincituramque foetu in lucem edito prorsus aliam requirit, quam quæ naturalis fabricæ funi injicitur. Debilis, flaccidus, marcidus funiculus ad suum peragendum officium ineptus, plurimorum jam funestorum casuum causa fuit, illum ob suam tenuitatem & brevitatem tenellum foetum necasse Celeb. RuySCHIUS testis est a), & BONERUS b) nonnullorum abortuum talem funiculum causam fuisse observavit; decidit enim fructus cujus exaruit pedunculus, sed contrarium huic aliquando in funiculum cadit vitium, nimis nimirum crassities seu obesitas; hic etiam pellibus tenuibus, sed tamen ante descriptis firmioribus amictus; sub quibus excedens textum cellulosum insigni quantitate gelatinæ imbutum absconditur, crassus hic & præcrassus ubique æqualis absque nodis observatus est c), ei nomen obesi vel pinguis manet; umbilicus horum vitiorum ex-

B  
pers

pers spirali prædictus forma, longitudine & crassitie non excedens, naturalis nomen meretur, vitiose brevis, circa collum tortus, aut in nodos devinctus; quas matri & foetui præcipue sub partu struat insidias, sequentia indicabunt. Umbilicum meæ considerationis esse putavi, ut forte exin illius vitiis, inferius pertractandis, rectius perspiciendis, major accendatur lux; placentam autem, quæ genuina ejus continuatio est, nec reliqua foetui utero materno incluso propria, a meo proposito remotiora præterire debeo.

a) *Adversaria anatomico-medico-chirurgica Dec. II. p. 29.*

b) *Sepulchret. anatomi. L. III. Sect. XXXVIII.*

c) MAURICEAU l. c. *Obs. 406.* vidit funiculum brachio crassitie non cedentem.

§. V.

Homuncio ad finem trigesimæ nonæ aut quadragesimæ hebdomadis in utero gestus, & suppeditato per dictum fontem alimento, enutritus, peregrinus matris incola tunc a Natura esse censetur, & suum pristinum domicilium derelinquere jubetur; eadem auxilia invenit illum ex hoc educendi, matri nonnunquam periculi plena, semper autem molesta, illi proficua; hæc sunt illi dolores ad partum veri. Actionem foeminæ, per quam illa foeturam enititur, Partum appellant; qui ideo per foetus maturi in lucem expulsionem definitur; dividunt illum in naturalem, præternaturalem, difficilem & laboriosum; naturalem illum nonnulli esse volunt, sub quo foetus capite, & facie ossi sacro obversis, prorumpit; præternaturalis autem secundum eorum mentem vocatur, quando alia quæcunque corporis pars prius sese offert; majori autem cum jure ille solummodo naturalis nomine insigniri potest, qui absque ullo obstetricantis auxilio, solius

lius Naturæ viribus absolvitur, etiamsi alia pars primo porrigitur; nam & natibus & genibus sine ulla aliena opera, foetus facilius nonnunquam excidunt, quam capite prodeuntes; patet ergo partum præternaturalem illas constituere species, sub quibus gravissima, nec ullo modo a Natura vincenda obstacula occurrunt; hic obstetriciæ manus opem exposcit vel & instrumentorum applicatione absolvitur; inde & artificialis nonnullis audit, eum vel ipsum caput prius prodiens, & in axi pelvis, prouti id ad partum naturalem requiri æstimatur, situm obtinens, sæpius causatur. Exper. DE LA MOTTE militans contra alios dicit: sine idonea ratione multos obstetricantium partui nomen naturalis dedisse; &, ut illorum falsam opinionem solide refutare posset, eorundem armis contra ipsosmet utitur, observationesque ab illis annotatas, contrarium probantes, tanquam fideles testes provocat. Nec placentiæ situs obliquus partum pervertit; nam illa admodum raro ipsum centrum fundi uterini occupat, sed magis vel minus oblique locatur: nisi illa propius ad oras oris uterini implantatur, vel & ipsum orificium contegit: ut MAURICEAU, DE LA MOTTE, PORTALLUS, SMELLIE atque Cel. LEVRET & plures alii observarunt. Cur tunc debeat produci partus naturalis difficilis, laboriosus vel & præternaturalis perspicue explicat Cel. LEVRET. a)

a) *Observations sur les Causes & les accidens de plusieurs Accouchemens laborieux.* p. 123, & 124.

## §. VI.

Vires matris, tempore partus, dolorum vi incitata, foetoram pellunt & excludere nituntur. Caput magnitudine non excedens, situm rectum nactum, viribus impellentibus obedit, viasque pelvis probe extractæ, non difficulter peragrat & corpusculo prodituro iter parat;

B 2

hoc

hoc æque, si nulla in suo itinere offendit obstacula, nulli subsistens caput vel lenissime tractum sequitur, sin autem illi aliqua resistentia opponitur, vel quod pejus, plures simul concurrunt, tunc capite vel in utero adhuc ad orificii limites hærente, vel in vaginam impulso, aut jam extra pudenda parturientis propendente, truncus in pelvi moras neſtere cogitur, aliquando autem quasi agitur; vigente nimirum dolorum impetu inferiora verſus truditur, iisdem remittentibus, introrſum regreditur, caput ſecum rapit retrahitque. Vitiæ, quæ partum morari obſervantur, cadunt vel in matrem, vel in foetum: quæ matrem ad hoc opus ineptam reddunt, hic non tangam; nec omnia mihi recensere licet, quæ pro varietate partium foetus, varia & diverſiſſima occurrunt, exitum illi præpedientia & matrem multis incommodis, doloribus & cruciatibus ſubjicientia, imo ipſi morti & matrem & foetum certam nonnunquam ſiſtentia prædam. Sed conabor modo evincere vitia in trunco foetus reperiunda, ex horum coetu ſunt: funiculus umbilicalis ob nodos, contorſionem circa collum, ex ſua natura brevis, uteri orificium circa collum foetus conſtrictum, humeri nimis lati, obliquum ſitum obtinentes, hydrops anafarca & pectoris, empyema, hydrops aſcites & tympanites, tumores varii generis; hæc capite vel in lucem jam expulſo, ut truncus ſubſequatur non patiuntur.

## §. VII.

Funiculus in nodos devinctus ante partum noxius eſt, dum circulationem ſanguinis ſufflaminando, commercium matrem inter & foetum intercipiendo, homini, qui lucem nondum ſalutavit, vitam adimit, a) nec tamen exemplis deſtituimur, quod nodi funis ante partum, & ſub partu innocui fuerint b); quando autem accidit, ut aut plures

plures nodi adsint, aut funis mediocris longitudinis, & spiris paucis vel nullis instructus, qui ideo ob unicum etiam nodum admodum brevis evadit, tunc summum non infanti solum, sed etiam matri imminet periculum. Si foetus tempore partus diutius in pelvi hæere cogitar, ob tensum funiculum, nodus strictissime constringi potest, & hanc ob causam foetus vita privari debet; præterea funiculus per nodum brevior redditus, extendi & longiorum diametrum acquirere nequit, hinc violenter tractus, ab annulo abruptitur, aut alio in loco disrumpitur, & hinc facit, ut cum sanguine simul vita effluat. Sub partu capite foetus vehementer pelvi impacto, cognoscere, num nodi chordam brevem reddiderint, num circumvolutio circa collum infantis, ejus longitudinem imminuerit, num illa, absentibus his vitiis, illam sibi a Natura denegatam experiatur, non dicam per quam difficile, sed prorsus impossibile. Medelam per artem malo, ad quod nec acies mentis humanæ pertingere potest, adferre nullatenus queimus; si autem caput nondum omnem expleverit pelvis cavitatem, per explorationem in rem inquirimus; & si tale quid in sensus cadit, res dubia Naturæ committi non debet; sed confessim foetus in pedes convertendus & educendus, funiculus ad eum locum, in quo sine noxa resecari potest, abscindendus; resectum autem ob metum jacturæ sanguinis, adsians quidam, donec obstetricans suum absolvat opus, digitisprehendit, vehementer autem illum comprimere non debet. Capite foetus e pelvi jam evoluto, ad faciem tanquam vitæ & mortis indicem respicere debemus; foetu enim emortuo, præcipue si diu ante partum obiit, illa flaccida, lurida, nigricans, epidermide exuta apparet; tunc ne mater simul suis opprimatur fatiis, absque mora pulsa in uterum manu, funiculus perrumpatur: vivus idem si suis se prodit signis ad pudenda extractus, si resistentia percipitur,

B 3  
truncus

truncus recta trahi non debet; sed provide & lenissime inferiora versus inclinando, pedes eximere tentemus, quibus eductis rescinditur chorda.

- a) vid. Cel. SMELLIE *Traité de la Theorie & Pratique des Accouchemens Tom. III. Recueil XIX. Ant. III. Obs. I. p. 393.* nec tamen longitudo umbilici, quæ trium pedum fuit, impedit, quin nodus strictissime compingeretur.
- b) LOUIS BOURGOIS casum recenset; qui omnino neminem non in summam admirationem rapere potest; de foetu cum funiculo tribus nodis interstincto in lucem edito. *Observations diverses sur la Sterilité &c. Obs. 133.*

§. VIII.

Pericula, quæ ab umbilico circa aliquam corporis foetus partem obvoluto profluunt, omnia in pervertendo ejus situ & impedito, propter curvaturas & anfractus funis, circuitu sanguinis consistunt. Capite embryonis progressu temporis inferiora versus labente, circumvolutus, trunco, aut alii parti obductus funis, illud in suo descensu impedit, & non permittit, ut id ad portam, quam postea tundendo aperire debet, appropinquet, efficitque, ut alia quæcunque corporis pars sese orificio sistat, ut ex PEU a) & SMELLIE b) patet; præterea eo tempore, quando foetus suos coepit exercere motus, is inde magis irritatur & a suo avertitur tramite; sed eo majori caterva malorum obruitur foetus, quando funis ejus collum obvolvitur: semel, bis, ter illum collum circumdare vidit MAURICEAU c), & id quidem multoties observavit: ter & quater SMELLIE d), nec non DE LA MOTTE e), & Cel. LEVRET f), atque Clar. HEBENSTREIT g) & quidem in utero foetu incrementa capiente, capite deorsum tendente, ob pondus tensus funiculus cervici firmiter applicatus, venas jugulares stringendo, reditum sanguinis ex capite intercipit & hanc ob causam foetum jugulat; vero



vero simile præterea videtur, ob hanc constrictionem venarum jugularium & difficilem in encephalo sanguinis circuitum, indeque resorptionem vaporum impeditam, aquas colligi & hydrocephalon produci. At si felix contigerit fortuna, ut embryo nullam in suo corpore experiatur insignem mutationem & ad terminum partus usque hoc collare gerat, ab eodem suas experiri calamitates potest, quando in lucem prodire debet; circumvolutus enim funis pro ratione suæ longitudinis, truncum in limitibus aperturæ sive superioris pelvis, distinet, sive inferioris; aut quando caput jam extrapudenda comparet, vehementer inde tensus funis validissime collum stringit, eoque citius & promptius etiam quam in utero foetum perimere potest. Capite pelvi impacto, ubi omnis aditus ad obstaculum denegatur, nulla certa signa, quæ nos ad hanc circumvolutionem ducere possunt, dantur, nisi iteratus regressus capitis e loco, ad quem urgentibus doloribus appulsum fuit, sed & hoc dubium. Foetu magnitudinis non insignis, in pelvi capaciore sito & superius hærente, partu diu durante & absque progressu matrem fatigante, omni data opera viam quærere debemus, ut obstaculum tactus ope accuratius perferuari possimus, & si illud a funiculo contorto provenire agnoscimus, cum in mora periculum est, diu illud nos cunctari non finit, ne inferius progressum caput, firmissime parietibus pelvis applicatum & appressum, nostro artificio neque repelli neque expelli possit, & tunc cæco eventui totum negotium relinquere cogamur, pessimo nunquam non omine, satius ergo est partum, cum fas est, absolvere, & ut ante dictum est, foetum in pedes versum extricare, & sub eadem conversione explicationem funis tentare; sero accersitus chirurgus, capite foetus ad terminos aperturæ inferioris pelvis hærente, nihil moliri debet; sed vigente dolorum vi caput infantis, duobus

duobus digitis utrique temporis impositis, ne, illis remittentibus regrediatur, retinere debet; vel locum e regione perinaei quarere, quo, digito intromisso, eoque unci instar incurvato, mentum, eundem ob scopum, arripiat, quæ methodi ad promovendum in suo progressu caput, si recte adhibentur, summum auxilium pollicentur, iisdem & in casu ante dicto, & duobus inferius describendis uti debemus. Quando autem nec hoc artificio se profecisse videt obstetricans, forcipe applicata caput excutere tentet *b)*, ne, ob diuturnam in pelvi moram, deploratu dignus novus homo suo quasi fune suspensus vita excedat: quod MAURICEAU, DE LA MOTTE aliorumque Observatorum testimoniis non infrequenter accidisse novimus.

- a)* *Pratique des Accouchemens L. II. C. XIII. p. 410. & seq.* ubi *Fig. I.* sistitur funiculus sub axillis transiens, circa labium superius ductus, nasum freni instar sustinens, & caput sursum retrorsumque trahens, mentum non caput orificium respicit. In *Fig. III.* Funiculus medium truncum ambiens suspensum foetum tenet; in *Fig. V.* pedes umbilico intricati sursum versus fundum uteri elevati, & hinc foetus ex porrectis manibus cadens delineatur, in *Fig. VIII.* embryo erectus conspicitur, funiculus umbilicalis sub axillis transiens, illum in hoc situ stabilis; hinc ille pedibus orificium uteri tangit. *Fig. XI.* exhibet curiosissimam & intricatissimam implicationem funiculi, quæ distinctius in ipsa icone videri potest.
- b)* *Tom. III. Fig. XXIX.* Funiculus circa collum, brachium & truncum circumvolutus & pone dorsum in nodum devinctus depingitur, ob quam circumvolutionem procul dubio assidere jubetur embryo.
- c)* *l. c. Obs. 394. 401. 402. 492. 496. 506. 526. 585. 624. 687. & dernieres Observations Obs. 38.*
- d)* *Tom. II. Recueil XIX. Art. I. Obs. I. p. 388. & Obs. II. p. 390.*
- e)* *L. II. c. IX. Obs. CXIV. CXV. & CXVI.*
- f)* *Obs. sur les Causes &c. p. 157.*
- g)* *Diss. Patholog. funiculi humani system. Lipsiæ 1748. bis contortus hic apparet.*
- h)* *Monente Cel. LEVERT l. c. p. 158.*

§. IX.

Umbilicus circa collum contortus. capite jam in lucem expulso, facili negotio agnoscitur: liberaturus obstetricans ab hoc laqueo foetum, umbilici partem placentam respicientem, capite prius in hoc illudve latius aliquantisper moto, sensim & circumspice trahit, usque dum anfa capiti trajiciundo sufficiens efformetur, quæ postea ante verticem capitis foetus, ad anteriorem colli partem reponitur, & hoc negotium tot vicibus repetitur, quot circumvolutiones animadvertuntur: si autem funiculum eximie brevem deprehendimus, qui probe tractus non obedit & quasi crepitare incipit, trahi ulterius neutiquam debet; serio enim mala, ab ejus ruptura & circuitu sanguinis ob compressionem inhibito, nec non ab avulsa placenta imminetia, numero infinita & gravitate summa portendit; securius ergo & promptius hoc laquear demimus, si illud forcipe apice obtuso instructa rescindimus; obstaculo remoto truncus quam fieri potest, citissime educitur; si hæmorrhagia, post discessum funiculum vitæ foetui insidians extimescitur, Operator illum comprimendo, hanc supprimet: partu finito umbilicus ad quatuor digitos transversos ab annulo, idonea & convenienti fasciola, devincitur.

§. X.

Umbilicum longum ob nodos & contorsionem brevem posse evadere, & partus præternalis causam esse dictum fuit; sed ille & horum vitiorum expertus, mox brevissimus occurrit. Sex digitos transversos non excedentem EPHEMERID. NAT. CURIOS. a) exhibent, similis longitudinis, & Cel. SMELLIE b) observavit, MAURICEAU c) unius quartæ & dimidiæ ulnæ, longum describit;

C  
imo

imo unam quartam non superantem & unam tertiam ulnæ Parisinæ æquantem vidit; funiculi autem longitudinem magis consuetam integræ ulnæ esse ex Auctoribus in §. III. citatis constitit, hinc si lineam a fundo uteri gravidi ad aperturam inferiorem pelvis ductam cum funiculo, cujus diameter unam quartam non excedit, comparemus, non difficile conjicere possumus, summa exituro foetui obstacula nascitura fore, de qua re vel iste convinci potest, qui hoc tanquam axioma assumere vellet; quod, quo magis inferiora versus foetus pellitur, eo fortius matris sese contrahere nitatur; ejus ergo fundus, cum placenta in ea ratione foetui propior, in qua ille ad inferiores pelvis limites appropinquat; nam insignem defectum, nec contractio uteri, nec ejus fundi propior ad foetum accessus perfecte supplere queunt: obstaculum invincibile, metus disruptionis funis, avulsionis placentæ & uteri inversionis periculosissimis hunc partum adnumerare suadent: cognoscitur ex signo in §. VIII. annotato, & per explorationem, sub qua illum vehementer tensum sentimus: succurritur in posteriori casu eodem tempore, quo manus in uterum explorandi ergo immittitur; si certo obstetricanti constat funem hoc laborare vitio, quapropter foetui a Natura expellendo omnis admittitur spes; nisi partus exitum concomitantibus supra enumeratis malis; hinc nonnulli suadent funiculum manu, foetu prius ad partum Agripparum præparato, perrumpere, & velociter perficere opus, ne ex jactura sanguinis pereat infans. Num autem chordam, non armata manu, in utero disrumpere licet? & num dilacerato in utero funiculo, semper partus felici coronabitur sine? mihi rem per propriam experientiam nondum notam decidere impossibile est; nihiloties ut probe Doctores monent, ubi mater & proles naufragium effugere nequeunt, rem tentare & lente, sed sapienter in opere procedere prudentis est.

\*) Dec. III.



- a) *Dec. III. Ann. 4. Obs. 113.*  
 b) *Tom. II. Recueil. XIX. Art. I. Obs. III. & IV.*  
 c) *Obs. 401. 406. 518. 549. 687. & dernieres Observations Obs. 139.*

§. XI.

Hæc omnia ad amissim matris & fructus vitam custodientes observamus, certior de morte infantis obstetricans, umbilicum absque evidente noxa perrumpere potest; alia methodus huic miseræ genti ab Auctoribus præcipitur; placentam nimirum, pedibus infantis prius ad orificium uteri adductis, prompte separando & fructum cum suo nido e labyrintho extricando: sic placenta aliquando sua sponte, si cum utero non firmo juncta est nexu, cum summo utriusque bœno ab utero secedit, nonnunquam funiculus illi, qui felicior, in remotiore ab abdomine loco, cum summo autem vitæ infantis discrimine, ad annulum abdominalem abrumpitur, quos casus parcior vel copiosior fluxus sanguinis indicat, ut multoties laudatus DE LA MOTTE annotavit: ad caput in hoc & §. VIII. atque IX. recensitis partibus, retinendum & ejus egressum, quousque fieri potest, accelerandum, nonnulli sequens proponunt artificium: intromissis nimirum in intestinum reatum duobus digitis & gibbis frontalibus suffultis, caput, ne, remittentibus doloribus regredi queat, retinetur: SMELLIE OULDIUM secutus hoc creberrime exercuit, & illud utilissimum expertus est, sed recte prudens & sagax Vir exhortatur, ne quis illotis manibus rem tangat; rudi enim & imperita nec sat exercitata manu intestinum contundi, dilacerari & vaginæ eadem noxæ inferri possunt, vel inorbitas intromissis digitis oculi læduntur, atque homo, qui lucem nondum aspexerat, facillime excæcari potest.

§. XII.

Impedimentum non minoris momenti quam ante dicta haud raro ab orificio uteri circa collum infantis spafice constricto oritur: caput hoc in casu, æque ac in superius descriptis partibus, vel in pelvi moratur, vel jam evolutum libere extra illam pendet. Orificium ex sua, & quæ utero propria est contractili natura, ob moram foetus in pelvi, propter deficientes dolores veros, caput magnum &c. constrictum, collaris instar jugulum cingit & stringit; accidit interdum, ut spafmi vel convulsiones universales, sub partu aborti, hujus stricture vera evadant causa, sed & spasmodicæ contractiones utero soli privæ hoc vitium inducere possunt: manu pone regionem perinæi, capite quantocius sursum elevato, in vaginam missa obstaculum pervestigamus; quando autem ad illud pervenire non licet, ne conjectura quidem rem assequi possumus, nisi spafmi vel convulsiones reliqua membra parturientis torquentes adsint. Orificium uteri collo foetus obductum & firmiter applicatum, comprimendo tenelli corpusculi vasa, illud in idem vitæ discrimen, ac funiculus collo obvolutus §. VIII. adducere potest. Ubi manus omnis aditus intercipitur, nulla alia a chirurgo exposcitur cura, quam artificium ad caput retinendum & ejus egressum promovendum §. VIII. indicatum; sin autem spafmi vel convulsiones adsunt, Venæ Sectio in brachio instituitur, & reliqua remedia, quæ ad debellanda hujus generis mala in therapeuticis traduntur propinquanda; sequentem autem in modum procedimus, ubi manus ad obstaculum pervenire potest: intercepta nimirum inter duos digitos portiuncula butyri non saliti, & ad locum strictum allata, ille in tota sua circumferentia inungitur, & hoc toties repetitur, donec ubicunque digitus magis relaxatam orificii partem offendat, & si hoc percipimus, digito uno prius



prius inter orificium & collum infantis intromisso & huc illuc lenissime moto, alteri paratur via; tandem duobus vel tribus digitis butyro ut antea illitis circa collum ductis, interna facies orificii oblinitur, quo spasmus demulcetur, pars stricta relaxatur, & a collo recedit; hæc & tempore dolorum & intercalari continuamus: orificio relaxato, digitis expansis, margines oris uteri brachia foetus veris reducere tentare debemus; cautissime tamen cum parte delicatula procedendum, ne a digitis contusiones, vel & ipsæ dilacerationes producantur; ab hac autem dilatatione & expansione nos desistere jubent convulsiones, quibus parturiens exagitatur, nec non spasmi illam excruciantes, sed emolliendi orificii ergo inunctio & per id temporis continuatur; convulsionibus sedatis perficitur negotium, donec humeri ultimos orificii limites superent, extra quos tandem corpusculum sine mora & difficultate egreditur omniaque evolvuntur membra.

§. XIII.

Hucusque impedimenta ante humeros reperiunda & exitum foetui præpedientia, explicui; sed si ad humeros ipsos dirigimus oculos, eorundem propria vitia nobis in mentem subeunt; situ obliquo & latitudine excedente, eos haud raro peccare deprehendimus, quod utrumque vitium nunc disquirendum: & quidem primo humeros latos, qua illi absentibus omnibus vitiis, tam foetus, quam matris, partum præternaturalem causantur rimabor: hanc partus speciem raro occurrere asserit *Cel. ROEDERER a)*, occurrere tamen aliorum testimoniis novimus: *DE LA MOTTE b)* illum observavit, vidit & *AMANDUS c)*: caput foetus in hoc, prouti id sub partu naturali fieri assolet, absque difficultate foras pellitur, & extra pelvim compareret, & tunc explorandi occasio nascitur;

scitur: vitio cognito, Naturæ effectus expectari non debent; per hujus enim actionem humeri, nimis lati, neutiquam in minus volumen compingi possunt, ut pelvim permeent; sed ad margines ossium pelvis ap- pulsi, & firmissime applicati sibi met ipsis exitum præ- cludunt, hanc ob causam partus sine ullo auxilio neu- tiquam felicem finem assequi potest: quare operator ab initio leniter caput trahendo & in utrumque latus blan- dissime movendo, exitum procurare tentet, & attentus videat, num in suo opere proficiat, aut inutilem suscipiat laborem: trunco non subsequente desistere debet, probe gnarus, velocem & vehementem tractum perniciosissi- mum esse; hac enim methodo prius caput a suo separatur trunco, quam obstaculum vincitur *d*), aut si firmæ & robustæ structuræ partes sunt, infans diu tortus & ve- xatus vita privatur: tristitia hujus rei exempla apud Obser- vatores abunde prostant, ex quibus vel solum DE LA MORTE *e*) adducere sufficit; in casu ab illo relato obstre- trix ipsa sui criminis rea, infontem & omni commiseratione dignum foetum, crudeli manu torquendo, & diu excruciendo e vivis sustulit, idquod sincere Auctor expri- mens dicit: *la mort de cet enfant fut causée par l'igno- rance de cette sage-femme*; securius ergo & majori cum successu alia suscipitur operatio: immissa scilicet in ute- rum manu, primo unum investigemus brachium, inci- piendo pone axillam, absque errore secundum humeri ductum ad plicam cubiti usque pergimus, sub qua duobus digitis pulsus, tandem instar unci incurvatis, illam pre- hensam ad latus thoracis, evitantes omnem violentiam, ne tenella frangantur ossa, versus inferiora uteri ducimus, & e pelvi extrahimus: eundem in modum postea & alterum exsolvitur, manibus foetus prehendens & temporibus applicatis, nuchæ pollicem utriusque nostræ manus im- ponimus, reliquis digitis caput & manus amplectimur, &





& cum nunc rumpendi colli periculum abest, validius, lenissime movendo, trahimus; donec humeri inferiorem aperturam pelvis superent, quo facto reliquum trunci & membra facile sequentur: hæc methodus omnino præferenda est applicationi uncorum, quibus non possunt non, aut ex cavitatibus ossa humorum extorqueri, aut eadem etiam frangi, materque multiplicis generis noxis affici.

- a) *Element. Art. Obstetric. p. 200.*
- b) *L. III. C. XXIV. Obs. CCL. p. 445.*
- c) *Nouvelles Observations sur la Pratique des Accouchemens Obs. 39.*
- d) Hanc cautelam Experientissimus Dn. D. FRIED, meus deveniendus Præceptor, serio inculcare solet.
- e) *l. c.*

§. XIV.

Partus præternaturalis, frequentior superius descripto, ob iniquum humerorum situm occurrit, sed & periculosior illo. Simum humerorum obliquum artis nostræ Magistri appellant, quando alter eorum ad arcum ossium pubis impingit, alter vero ossi sacro obversus est: hunc ex perverso capitis situ non difficile cognoscimus; tunc enim una aurium infantis, regionem pubis matris spectat, altera perinæum respicit, facies matris femur, occiput alterum spectat, Natura in hoc partus statu opem suam nobis polliceri non videtur; sed nec capite vehementer tracto, foetus sine evidenti noxa evolvitur, quam ergo methodum, nisi quis illum decollare vellet, repudiare debet; ne sibi idem accidat, quod obstetrici in simili casu accidisse Cel. LEVRET a) refert: manu prompta & hoc expeditur negotium, qua in uterum pulsa, brachia quaruntur & e pelvi eximuntur, quibus extractis & cum capite arreptis, infans vertitur ita, ut in abdomen cadat, atque

atque conversus, secundum artis præcepta, totus extrahitur.

a) *Suite des Observat. Art. V. p. 149.*

§. XV.

Aquæ per totum embryonis corpusculum diffusæ & cellulis exceptæ, illud turgens & tumidum reddunt, hydropem anasarcam efformant, in hac illave cavitate congestæ, alias hydropis species, ut hydrocephalon, pectoris hydropem, ascitidem &c. constituunt. Hydrocephalo absente caput non est inflatum nec partum moratur, an hydrocephalo obtinente, aquæ, sub partu compresso capite, refugium quærentes, specui ossæ spinæ dorsi infunduntur, & illam distendendo, vertebrarum segmenta ossæ, quæ nunc laxè per symphyisin inter se juncta sunt, distorquendo, vitium, spinam bifidam dictum, producunt? Rem a vero alienam non esse duco, si capite in utero deorsum pendente, difficilem aquarum ascensum cogito; ulteriorem hujus rei discussionem mitto, cum mihi, nec de priori, nec de posteriori vitio sermonem instituere licet; nam truncus aquis plenus, grave sibi obstaculum ponens, & partum in longum protrahens, meæ considerationis est. Non minus de auxiliis huic vitio ad-versis, quam de signis, ex quibus illud cognoscitur, solliciti esse debemus. Ex habitu matris cachectico, hydropico, vel ad hunc saltem morbum inclinante, obstructionibus viscerum abdominalium, & debilitate universali eum suspicamur, ex foetus facie flaccida, in tumorem œdematosum elevata, cui, si vestigia post pressionem digiti, quæ in fat vegeto corpore cito & promptè obliterantur, derelinquuntur, certiora acquirimus signa; facies quidem infantis, ob constrictum ejus collum, nonnunquam admodum inflata observatur, sed integumenta



in hoc casu pressa statim resurgunt: at & exploratus truncus, se aquis imbutum mollitie flacciditateque sua præternaturali, & totius corporis tumido habitu, manifestat: hæc certum & ab omni suspitione remotum suppeditant signum.

§. XVI.

Aquæ, ni moveantur, putrescunt, & postquam putrescere cœperint, mitem, quæ aquæ propria est, indolem amittunt, acres fiunt, partesque, quas contingunt & quibus continentur, exedunt, nexum earum infirmitant aut & destruunt; hinc in adultis hoc morbo affectis, omnia solida flaccida, debilia, laxa, mollia, minus cohærentia deprehendimus; quid nunc de robore & firmitate partium tenelli embryonis diu his aquis macerati statuendum? hanc ob causam caput infantis sub partu vehementer tractum, citissime a suo secedit collo; ideo abruptorum in ejusmodi casibus capitum tam innumera apud Auctores leguntur exempla, ex quibus MAURICEAU, DE LA MOTTE & Cel. LEVRET sunt præcipui; ideo, qui suæ famæ integræque conscientiæ conservandæ studet, artemque a convitiis & mordacibus illusionibus defendere conatur, quam cautissimus in opere versetur, ne ante tempus periculum incurrat; hydropici enim foetus non semper in utero emoriuntur: sed & si certo de morte constaret, tamen omnibus viribus in id maxime annitendum est, ut foetus integer, nec truncatus, nec mutilatus in lucem prodeat, cum nec monstra occidere fas sit; præterea lubentius adstantes in monstra oculos conjiciunt, quam in infantem a naturali norma non abluentem, vivum, sed membris privatum aut decollatum. Methodo §. XIII. dicta & hydropicos aggredimur,  
D  
quam

quam DE LA MOTTE exercuit, & multos infantes hydro-  
picos vivos eduxit & integros conservavit: qui fasciam  
robustam, formata ansa, laquei instar, collo obducen-  
dam, ut validius corpus trahi possit, suadent, videant  
ne male aliis consulendo ipsi in perniciem ruant.

S. XVII.

Pectoris cavum aquis æque ac abdomen in hominibus  
adultis totum quantum sæpius repleti videmus, idem &  
homini, utero materno adhuc incluso, accidere posse  
nemo inficias ibit; rara quidem hujus rei exempla pro-  
stant, sed forsitan non ideo rara, quod res nunquam acci-  
derit, sed quod potius illa animadversa non fuerat. Pe-  
ctus ossibus structum, quæ suis inter se ligata & connexa  
sunt ligamentis, validis præterea circumdatum carnibus,  
non videtur aquarum distensionem cedere, ab iisque in am-  
plum extendi volumen, propter quod partus præternatu-  
ralis oriretur, sed si perpendo, quod in tenello foetu  
costæ nondum perfectam duritiem osseam acquisiverint,  
hinc molles atque flexiles sint, & ob ligamenta ab acri-  
bus humoribus exesa, infirmaque reddita minus firmo  
nexu cum reliquis partibus cohæreant, quod præterea car-  
nes, ob diurnam macerationem, debiles & flaccidæ  
sint, nihil video quid impedit, ut hoc vitium obveni-  
re posse supponam. Signa hujus morbi, si ille revera  
obteneret, præter generalia hydropis signa, hæc deberent  
adesse; eximia nimirum pectoris amplitudo, fluctuatio li-  
quidi intus contenti, nec non forte costarum in articu-  
lationibus, adulto malo, distorsiones: morbus hic ad ejus-  
modi gradum pervenire non potest, quin prius foetum  
neci tradat; ideo sub partu matri solummodo parcere de-  
bemus,

bemus, quod imminuendo infantis pectoris volumen præstamus: quare lanceola ad sui dimidium linteo obvoluta, & in uterum provide allata, pectori in uno, aut si res id exigere videtur, in utroque latere, vulnus, aquis effundendis, sufficiens infligitur; quod etiam, ut mihi videtur, perfici posset perforatorio Exper. FRIDII, utpote cujus apex & margines scindentes theca præmuniti sunt a), & vel hanc ob causam lanceolæ præferri debet.

a) THEBESIVS hujus instrumenti iconem dedit, vid. *l. c. Tab. 18. Fig. XXXI. & XXXII.*

§. XVIII.

Empyema quid sit, notum est unicuique, sed num viscera in cavitate pectoris abscondita, præcipue pulmones, suis ex causis in pus resoluti, & in squalidum liquamen diffusi, tantam materiei copiam subministrare possunt, ut pectus ab hac vehementer distentum, sub partu obstaculo esse possit? mihi saltem nullum exemplum innotuit: hoc ergo vitium, ut & hydrops pericardii & mediastini, nullum sibi hic locum vindicant: nec est, cur circa hæc inutile tempus teram.

§. XIX.

Membra foetus reliqua aliquando mareida & extenuata conspiciuntur, sed cavum abdominis nimia aquæ quantitate plenum a), insignè affectat volumen; aquæ ex suis rivis profluentes, sensim adauctæ, visceribus interfusæ,

fufæ, inter hæc & peritonæum ftagnant, hydropem afci-  
 tidem dictum producant, vel inter parietes membrana-  
 ceos omenti, mefenterii confluunt, aut denique in quo-  
 cunque cavitatis abdominis loco in tela cellulofa collectæ,  
 tot hydropes, qui faccati vocantur, conftituunt, quot ibi  
 efformarunt burfas; truncus tunc tempore partus ad in-  
 feres pectoris limites e pelvi egressus, ob ingentem  
 abdominis tumorem, ulterius progredi nequit: malum  
 per tactum agnofcimus, & a tumoribus reliquis, qui sæ-  
 pius in altum ftigium inæqualiter elevantur, ex uni-  
 verfa abdominis & æquali intumefcentia, nec non ma-  
 terie contenta magis fluida difcernimus; nifi hydropes  
 faccati adfuerint, qui omnino difficulter cognofcuntur.  
 Bracchijs eductis chirurgus foetum sub utraque axilla a  
 dorfo, fi ille abdomini incumbit, fi non, prius in hunc  
 fitum verfum, manibus prehendit, & in omnes partes  
 blande movendo educere tentet; hac enim ratione, do-  
 nec truncus ad umbilicum extractus fit, aquæ in duas di-  
 viduntur partes, quo imminuitur refiftentia, facilitatur  
 negotium; abdomine autem valde renitente, trahere  
 vehementer non debemus; nam omnibus impenfis viri-  
 bus, trahendo truncum, foetus forfan extricari poffet,  
 fed ob validiffimam diftentionem & dilatationem, quam  
 maternæ partes perpeti debent, ruptura perinæi, dilace-  
 ratio partis fuperioris vaginæ & urethræ, diftorfio, dislo-  
 catio, ipfaque fractura offium pubis extimescendæ, id  
 non permittunt: hanc ob caufam foetus abdomen pun-  
 gere & aquam evocare oportet: operandi ratio non dif-  
 fert ab illa, quæ hydropicorum in lucem editorum pun-  
 guntur abdomina; obftetricans acum triangularem,  
 (Gallis *Troicar* dictam,) fine cannula inter digitos ab-  
 fconditam in uterum fert, & locum medium inter umbi-  
 licum & fpinam anteriorem fuperiorem illi pertundit; ur-  
 gente autem neceffitate, fi hoc defideratur instrumen-  
 tum,

tum, acu simplici, sed valida, prius incurvata, aut illa triangulari, curva, qua Chirurghi ad varium futurarum genus uti solent, punctura instituitur. DE LA MOTTE *b)* refutans MAURICEAU, instrumentorum, in hoc casu, usum tanquam noxium plane rejicit, sed instrumentorum quibus non abdomen pungitur, sed totius corporis foetus fit dilaceratio, & quis hujus Auctoris sententiam non amplecteretur? Quid enim moestius est, quam ejusmodi partus finis, sub quo, horrido spectaculo corpus infantis, quod integrum servari debet, sine ulla evidenti causa in frustra discerpitur? id quod casus a MAURICEAU *c)* relatus commonstrat; nonne tutius est corpori mortuo aut morti proximo, vulnus, quod lethale non existimatur, infligere, quam illud scindentibus instrumentis dissecando, matrem exitialibus vulneribus affligendo, una cum sua prole communi sepulcro condere: quodcumque interim instrumentum ad perficiendam hanc operationem adhibetur, manu operator locum pertundendum probe investigare & seligere debet: eadem, ne quid materni simul cum illo, quod necessario pungi debet, vulneretur, defendatur, ut recte DEVENTER *d)* monet: extenuato infantis abdomine & partu peracto, si vita se suis prodit signis, prius peragendis expeditissime peractis, abdomen infantis fascia apte obvolvatur.

*a)* DE LA MOTTE peracto partu & abdomine foetus pertuso aquam eductam tres pintas Parisinas totas explevisse vidit L. IV. C. IX. Obs. CCCXXXI. CCCXXXII. & quinque pintas MAURICEAU *Traité des Maladies des Femmes grosses Tom. I. p. 306.*

*b)* l. c. p. 613.

*c)* L. II. C. 18. p. 304. & C. 29.

*d)* Operation. Chirurg. p. 270.

§. XX.

Tympanias cum non nisi in mortuos & putridulos foetus cadit, matris vita & sanitas nobis curæ debet esse; infanti autem, quocunque apto instrumento, & in quocunque abdominis loco ad evocandam materiem infligitur plaga.

§. XXI.

Videmus in hominibus in lucem editis materiem heterogeneam, per totum corpus cum massa sanguinis prius oberrantem, in unum tandem colligi locum, & distendendo telam cellulosam, elidendo ejus cavernulas, sibi ex his propria receptacula efformando, ingentis molis & magnitudinis producere tumores, quos tunicatos dicunt, & pro indole materiei contentæ, steatomata, atheromata, melicerides & sarcomata nominant; sed & in utero materno delitescens embryo ab hujus generis malis nunquam immunis non est; in quocunque trunci loco unus ex his tumoribus sed insignis voluminis obortus, vel si minores plures tamen eundem obsident, sub partu illum in exitu suo morari possunt; tactu illos perquirimus, pertundendo idoneis instrumentis materiem elicendo volumen diminuimus; hi tumores in regionibus abdominis reperiendi probe a herniis discernendi, ne pertuso tumore loco alicujus materiei, intestina effundantur.

§. XXII.

Obstaculum, per quam difficilem & præternaturalem partum producens, sæpe ob conjunctos & concretos gemellos





mellos monstruosamque foetus conformationem obvenit:  
 summi certi momenti res est. Incredibili afficior dolore,  
 quod angustia temporis, qua nunc premor, ejus tractatio-  
 nem suscipere non permittit, nec stricti harum pagellarum  
 limites illam amplecti queunt, largiores hæc sola postulat,  
 quam quos meo specimini præfixi: ideo consultius esse du-  
 xi, illam intactam relinquere, quam inceptam minus perfe-  
 cte elaboratam & mancam sistere. Hæc sunt, *L. B.*, quæ  
 tenuæ ingenium suppeditavit, & debiles corporis vires  
 perferre potuerant; vides hoc specimen incomto vultu  
 apparere, vides minus polito stylo conscriptum, perci-  
 pis, me in illo nihil quicquam novi sistere; nec Tu id  
 ex me quærere opineris, cum me non totam artem ex-  
 haussisse, sed ejus principia addidicisse, Tibi imagineris;  
 quid enim ex profundissimis artis fontibus artis tyroni  
 eruere licet, quid novi depromere conceditur, quæ non  
 continuam modo Scriptorum evolutionem contendit,  
 sed huic diuturnam praxin junctam præcipue exposcit;  
 sub hujus enim præsidio nova nascuntur, augentur, suc-  
 crescunt, maturescunt, & eorum perficitur

F I N I S.



( 31 )

F I N I S

[Faint circular stamp]

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]



ULB Halle

3


004 592 964



*Mer 1 + 12*







*Q. D. B. V.*

DE

**PARTU PRÆTERNATURALI  
EX VITIIS TRUNCI FOETUS ORTO**

*DEO TRIUNO PRÆSIDE*

CONSENSU

GRATIOSE FACULTATIS MEDICÆ  
PRO SUMMIS IN ARTE MEDICA HONORIBUS  
ET

PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS  
RITE CONSEQUENDIS  
SOLENNITER DISSERET

**SABBAS LEONTOWYTSCH**

EX PARVA RUSSIA

*DIE XXX. JULII MDCCLXVI.*

H. L. Q. C.

ARGENTORATI

Typis JOH. HENRICI HEITZII Universitatis Typographi